VETUS TESTAMENTUM, UNVOLLSTäNDIG

Entstehungsort unbestimmt, Wende 12./13. Jh. Seite 12v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35407
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

bat autem sanguis plage in sinum currus. Et preco personuit in universo exercitu antequam sol occumberet, dicens. Unusquisque revertatur in civitatem et in terram suam. Mortuus est autem rex, et perlatus est in samariam. Sepelieruntque regem in samaria. Et laverunt currum in piscina samarie, et linxerunt canes sanguinem eius, et habenas laverunt, iuxta verbum domini quod locutus fuerat. Reliqua autem sermonum ahab et universa que fecit, et domus eburnee quam edificavit, cunctarumque urbium quas extruxerat, nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum israel. Dormivit ergo cum patribus suis, et regnavit ochozias filius eius pro eo. Iosaphath filius asa regnare ceperat super iudam anno quarto ahab regis israel. Triginta .v. annorum erat cum regnare cepisset, et .xxv. annis regnavit in ierusalem. Nomen matris eius azuba filia salai. Et ambulavit in omni via asa patris sui et non declinavit ex ea, fecitque quod rectum est in conspectu domini. Verumtamen excelsa non abstulit. Adhuc enim populus sacrificabat et adolebat incensum in excelsis. Pacemque habuit iosaphath cum rege israel. Reliqua autem verborum iosaphad et opera eius que gessit et prelia, nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda. Sed et reliquias effeminatorum que remanserant in diebus asa patris eius abstulit de terra. Nec erat tunc rex constitutus in edom. Rex vero iosaphath fecerat classes in mari que navigarent in ophir propter aurum et ire non potuerunt, quia confracte sunt in asiongaber. Tunc ait ochozias filius ahab ad iosaphath. Vadant servi mei cum servis tuis in navibus. Et noluit iosaphat. Dormivitque cum patribus suis et sepultus est cum eis in civitate david patris sui, regnavitque ioram filius eius pro eo. Ochozias autem filius ahab regnare ceperat super israel in samaria anno xvii.mo iosaphath regis iuda. Regnavitque super israel duobus annis, et fecit malum in conspectu domini, et ambulavit in omni via patris sui et matris sue et in via ieroboam filii nabath qui peccare fecit israel. Servivit quoque baal et adoravit eum, et irritavit dominum deum israel iuxta omnia que fecerat pater eius. Prevaricatus est autem moab in israhel, postquam mortuus est ahab.

EXPLICIT MALACHIM. ID EST LIBER REGUM .III.

DECIDITQUE OCHOZIAS PER cancellos cenaculi sui quod habebat in samaria et egrotavit, misitque nuntios dicens ad eos. Ite consulite deum accaron beelzebub, utrum vivere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem domini locutus est ad heliam thesbiten dicens. Surge ascende in occursum nuntiorum regis samarie, et dices ad eos. Numquid non est deus in israel, ut eatis ad consulendum beelzebub deum accaron. Quamobrem hec dicit dominus. De lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Et abiit helias. Reversique sunt nuntii ad ochoziam. Qui dixit eis. Quare reversi estis. At illi responderunt ei. Vir occurrit nobis, et dixit ad nos. Ite et revertimini ad regem qui misit vos, et dicetis ei. Hec dicit dominus. Numquid quia non erat deus in israel mittis ut consulatur beelzebub deus accaron. Idcirco de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris. Qui dixit eis. Cuius figure et habitus est vir qui occurrit vobis, et locutus est verba hec. At illi dixerunt. Vir pilosus, et zona pellicia accinctus renibus. Qui ait. Helias thesbites est. Misitque ad eum quinquagenarium principem, et quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum, sedentique in vertice montis ait. Homo dei, rex precepit ut descendas. Respondensque helias, dixit quinquagenario. Si homo dei sum, descendat ignis de celo et devoret te et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de celo, et devoravit eum et .l. qui erant cum eo. Rursum misit ad eum principem quinquagenarium alterum, et .l. cum eo. Qui locutus est illi. Homo dei hec dicit rex. Festina descende. Respondensque helias ait. Si homo dei ego sum, descendat ignis de celo et devoret te et .l. tuos. Descendit ergo ignis de celo et devoravit illum et .l. eius. Iterum misit principem quinquagenarium, et .l. qui erant cum eo tercios. Qui cum venisset curvavit genua contra heliam, et precatus est eum et ait. Homo dei, noli despicere animam meam et animam servorum tuorum qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de